

Justus Christoph Schomer Heinrich Gottfried Viccius

Dissertatio Theologica De Forma Fidei Iustificantis

Rostochi[i]: Richelius, 1690

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn733623786>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 12.April, 1690

Schomerus, Just. Christ *fa*

20 1027
SUMMO RERUM ARBITRO AUSPICE!
DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
FORMA FIDEI
JUSTIFICANTIS,

QVAM
In inclytâ ad Varnum Academia
Consensu Ven. Facult. Theologicæ

SUB PRÆSIDIO

DN. JUSTI CHRISTOPHORI
SCHOMERI,

SS. Theol. D. & Profess. Publ. Consistorii Ducalis
Assessoris, Diœceseos Mecklenburgensis Superintendentis,
Fac. suæ h. t. Decani,

Dn. Patroni, ac Præceptoris sui omni observantiæ
cultu colendi, prosequendi.

Publica ac Placide Eruditorum ventilationi submittit,

RESPONSURUS AUCTOR,

HENRICUS GOTHOFREDUS VICCIUS,

Sverinô - Megapolitanus

IN AUDITORIO MAXIMO

Die 12. April. ANNO M. DC. XC.

ROSTOCHI,

Typis JACOBI RICHELII, Ampliff. Senat, Typogr.



Serenissimi Principis ac Domini
**DN. CHRISTIANI
LUDOVICI,**

Ducis Mecklenburgici, &c.

Dn. nostri clementissimi

in

Regimine atqve intimo Consilio

ut &

Dicasteriis tum Provinciali tum Aulico
PRÆSIDENTIBUS atqve ASSIDENTIBUS
CONSILIARIIS,

Viris rerum prudentia & justitiæ integritate
longe conspicuis & eminentissimis

Patriæ nostræ columnis meritis, validissimis,

Patronis ac Promotoribus meis

omni observantiæ cultu suspiciendis,

Hoc Studii Academici specimen

offero

H. G. VICCIUS.



I. N. J.

DE

FORMA FIDEI JUSTIFICANTIS

CAP. I. PROOEM.

VOCES EXPLICANS.

THESIS I.



Leganter quondam Plato Rerum Nomina vocavit ὄργανα διδασκαλικά s. docendi instrumenta. Usus enim eorum in quavis scientia est uberrimus: quid? quod illi, quæ potestatem Nominum ignorant, teste Aristotele (α) facile decipiuntur, sicut illi, qui non sunt prompti in calculis: Quæ Ratione adducti brevem quandam terminorum explicationem præmittimus, ut sic, sensu & origine vocum probè intellectò, ad ipsam rem faciliori feliciorque methodo progredi queamus.

(α) lib. I. Soph. c. 1.

TH. II. Notio igitur FORMÆ, quæ primo loco explicari debet, est πλῆσιμον, cujus varios significatus jam non recensemus, sed, prout nostri instituti ratio jubet, Philosophis meritò relinqvimus. Nobis autem, Vox Formæ idem est hòc locò, quod Essentia s. Quiditas. Et sic de actu fidei formaliter & in sensu composito, (β) s. de eo, quod Fidem in esse suo constituit, approbante DEO, acturi sumus.

(β) Vid. Velthem. instit. metaph. p. 429.

TH. III. FIDES ratione Originis nonnullis dicitur quasi Fies à fiendo, eò, quod id fiat, quod ab aliquo dictum promissumve est; quæ Etymologia non male convenit cum ejus apud Ciceronem descriptione. (γ) Alii deducunt ejus ortum à Fidendo, quæ Etym.

A

AR

Articulo justificationis videtur esse convenientior : Græcis dicitur *πίστις* quasi *πίστις* à 3. p. præf. pass. *πίπισμαι* persuasus sum : activum est *πίθω* Svadeo, quod propriè est vocabulum forense & advocatorum, teste Danhauero (*δ*) qui dicuntur *πίθειν κριτῶς* persuadere iudicibus conf. Act. 26. 28. Præterea idem est, ac doceo, docendoque svadeo, annotante Meisnero (*ε*) & Flacio. (*ζ*) Sic Paulus dicitur *πίθων τὸ πρὸς τὸ βασιλείας τοῦ Θεοῦ*. (*η*) Hinc sicut *πίθω* designat actum docentis ac svadentis, sic *πίστις*, effectum dicit, qui svadendo, docendoque in mente nostra producit (*θ*) : Flacius (*ι*) putat verbum *πίθω* derivari à *πίθη* svasit, persuasit, à quo etiam latinam Fidei vocem deducit. Verum hæc Etym. B. Meisnero (*κ*) videtur esse aliqvantò durior, præsertim cum verbum græcum *πίθω* & latinum fides firmam notent persuasionem, Hebræum autem *אמת* etiam aliqvantò in pejorem accipiatur partem, ut notet vitiosam ad quodvis credendum, inclinationem, ad stipulante Avenariò (*λ*) Hebræis alias dicitur *אמת* veritas s. firma Cordis persuasio, descendit à Rad. *אמ*, quod verbum in Hiphil juvat exponere cum D. Schmidio (*μ*) per *firmum se fecit*. Etenim cum *אמת* in Niphal *אמת* significet *firmum, stabilem esse* (*ν*) & conjugatio Hiphil exponenda sit per *τὸ* facere, omninò significabit *אמת* firmum se fecit s. certò credidit.

- (*γ*) *lib. I. offic. ubi audit dictorum, conventorumque, constantia & veritas. Cui opponitur punica fides.* (*δ*) in Hodof. S. p. 852. (*ε*) in Phil. Sobr. p. 2. p. 253. (*ζ*) *Clav. Script. S. p. 312.* (*η*) *Act. XIX. v. 8.* (*θ*) *vid. Qvensted, in disp. de fide salvif. (1) Clav. S. S. 314. b.* (*κ*) *l. c. p. 254.* (*λ*) *in lex. p. 648.* (*μ*) *Colleg. Bibl. loc. XIII. diff. 1. S. 3. pag. 301.* (*ν*) *vid. Buxtorff. in lex. Heb. & Chald. p. 37.*

TH. IV. Cum autem Vox Fidei sit è Numero illorum, quæ *μαλαχῶς λέγονται*, varios ejus significatus brevi libabimus. Usus autem ejus tam apud Ecclesiasticos quàm Politicos est diversissimus. Apud Politicos denotat vel Fidelitatem in servandis dictis, vel persuasionem firmam, vel argumentum fide dignum, &c. (*ξ*) Nos profanò usu relicto, sacrum hic spectamus. Commodè non minùs, quam accuratè secundum ductum Theologorum (*ο*) potissimas ejus significationes in tres dispescimus classes : sumitur enim vox Fidei in Scriptura sacra (*ν*) Activè pro fidelitate in promissis servandis, notatque (*ι*) ipsam DEI, quam in promissis suis servat Fidelitatem (*π*) unde *אמת אל* Deus fidei (*ρ*) & *πιστις*

2029

(σ) fidelis dicitur (2.) **Hominum** constantiam & fidelitatem tum in
 promissis, (τ) tum in Religionis veræ negotio (υ) (ϛ) **Passivè** sive **Rece-**
ptivè quatenus Relationem habet ad verba dicentis, notatque assensum,
 quem alicui damus. (φ) Differt à priori non materialiter ac separabiliter,
 sed formaliter, illa enim qualitas sive virtus est; Hæc est Relatio meri-
 tum CHRISTI unicè respiciens: Hoc est ὁμοιωσις nudè passivū & quidem
 Evangelicum: illud est opus legale: Hæc Fides passiva multifariam iterum
 accipitur (1.) pro fide **Miraculosa** eaq; vel activa, quâ confido me virtu-
 te divina miraculi quicquam effecturum, (χ) vel passiva quâ confido per
 miraculum ab alio patratum beneficium mihi collatum iri (ψ) (2.) pro
Hypocritica & Simulata fide (ω) (3.) Pro fide **Historica**, non ita
 dicta, quod tantum circa historias versetur, sed quod in genere credat, ve-
 ra esse, quæ in verbo Dei revelata sunt. (α) Hinc audit **Generalis**, &
 est unò ferè modo in impiis atque Dæmonibus, dico **Ferè**; differunt e-
 nim non quidem essentialiter, sed tamen accidentaliter. Principium co-
 gnoscitivum impiis est verbum DEI, Diabolis insuper experientia. Impii
 possunt objectum fidei salvificæ sibi appropriare, Dæmones non item. (3.)
 pro **Confidentia ac fiducia**, quâ ita alicui assentior, ut certissimè
 mihi applicem gratiam, quæ offertur & persuasum habeam, me illud assequi
 l. assecuturum esse, quod verba promissionis præ se ferunt (β) & hæc est hu-
 jus loci. (γ) **Objectivè** & quidem vel **metonymicè** notans fidem
 quæ creditur: Sic tota Doctrina in genere fides dicitur (γ) **Prædicatio** fi-
 dei (δ) quinimò ipse CHRISTUS, quatenus principale fidei objectum est,
 fides dicitur. (ε) vel **Catachresticè** s. **abusivè** pro quavis falsa Re-
 ligione Turcica, Judaica, Anabaptistica, &c.

(ξ) Vid. Meisn. Ph. S. p. 253. (ο) D. Gerhard. L. C. CT. III. pag. 756. &
 Meisn. Antrop. S. Disp. XXIV. q. 6. (π) Rom. 3. v. 3. (ρ) Deut. XXXII.
 v. 4. (σ) 1. Cor. X. 13. (τ) Jerem. VII. v. 28. (υ) Rom. I. 9. (φ) Job. I.
 v. 12. (χ) Matt. XVII. v. 20. (ψ) Act. XIV. v. 9. (ω) de quâ agitur Ja-
 cob. II. v. 14. (α) Tit. I. 16. (β) Exod. XIV. v. 31. Jacob. II. v. 19. Job. V.
 v. 46. (γ) Matt. IIX. v. 10. Act. III. v. 16. Hebr. X. v. 22. (δ) Galat. VI.
 v. 10. (ε) Galat. III. v. 2.

TH. V. Homonymiâ vocis ostensa, Synonyma ejus breviter
 perlustrabimus, eaq; insigniora: Salutatur alias in Scriptura S. (I.) ΠΑΝ-
 ΖΟΟΨΙΑ plena assensio, sive ut Ulpianus loquitur, certioratio (ϛ) verbum

enim *πληροφόρημα* idem est, ac certus sum, certissime novi. (η) locutio
 est metaphorica, à navibus, plenis ventis portum ingredientibus, petita :
 quemadmodum enim Navis, ventis acta secundis, pleno cursu in portam fer-
 tur : Ita & fides à Spiritu S. suscitata in suum objectum : Neque hoc verbum
 ad mentem tantum pertinet, verum etiam illos animi motus includit, quæ
 ex certa Cordis persuasione oriuntur. (θ)(II.) ΠΑΡΡΗΣΙΑ (ι) quasi *παρη-
 σία* libertas dicendi sine omni metu. Verbum est, *παρήσιαζομαι*, libere sine
 trepidatione & metu loquor : quæ significatio, fidei justificanti est con-
 venientissima. Fides enim affert pacem conscientiæ, ut non metuat accu-
 sationem legis vel terreatur indignitate propriâ, sed firmissimam habet fi-
 duciam de charitate DEI erga se ardentissima. (III.) ΤΠΟΣΤΑΣΙΣ
των ἐλπυμένων, (κ) i. e. earum rerum, quæ sperantur, Substantia, ut Era-
 smus vertit. Quæ de voce Sententionarii mirabiliter se torquent, quum
 fides sit qualitas, cur in definitione ejus sumatur Substantia : Plerique au-
 tem putant esse definitionem ex similitudine, quod sicut Substantia est
 subjectum omnium accidentium, ita fides totius spiritualis ædificii funda-
 mentum sit & dispositio, præsertim cum fides sit primum principium ge-
 nerativum omnium virtutum : Alii interpretantur Possessionem : Alii
 Basim : & eliciunt inde metaphoram à pedibus desumptam, quippe qui se-
 cundum Galenum *εἰσὶν καὶ ὀρθήματα* præbent corpori. Alii Materiam
 rerum sperandarum : Commodissima autem videtur ea explicatio, quæ
 ὑπόστασιν vertit per certissimam atque indubitatam expectationem sive
 ut B. Luth. reddidit. Eine gewisse Zuversicht : c. l. ita ut sit firma in
 promissionibus acquiescentia. Unde cum fundamento, cui domus in-
 nititur ap. Estium (λ) Salmeronem (μ) comparatur : Eodem etiam
 sensu *רמס רצ* Domino fultus (conf. Kimchium & Maldonatum in
 Commentario) ac nixus *רמס* s. confusus in Domino (ν) in Dominum
 planè projectus (ξ) i. e. in gremio Patris coelestis, sicut infans in sinu
 matris recumbens, juxta Bellarm. in h. l. fidelis appellatur. (IV.) ΠΕ-
 ΠΟΙΘΗΣΙΣ (ο) opposita fiduciæ in Carne (π) (V.) ἘΛΕΓΧΟΣ
των βλεπόμενων i. e. argumentum eorum, quæ non videntur sive firma
 probatio ac demonstratio ad assensum aliquem convincens : Est enim
ἐλεγχο Philosopho *συλλογισμὸς μετ' ἀντιφάσεως*, i. e. Syllogismus
 cum contradictione, cum tam certus sim in re aliqua, ut sententiam op-
 positam falsitatis arguam : Hinc homo fidelis firmiter in promissis divinis
 acquiescens sine ulla trepidatione ad thronum DEI accedit, inque ejus fi-
 num

num infundit, quod ipsum angit, de exauditione certissime sibi persuasus (Ϸ)
 (Ϸ) Galat. III. v. 23. (η) Coloss. II. v. 2. 1. Theff. I. v. 5. Ebr. VI. v. 11.
 (θ) Rom. XIV. v. 5. C. IV. v. 21. (ι) vid. Chemnit. l. Th. p. 2. p. 247.
 (κ) Ephes. III. v. 12. 1. Joh. II. v. 28. Hebr. III. v. 6. (λ) Ebr. XI. v. 1.
 (μ) in l. c. Ebr. (ν) Tom. XV. fol 765. (ξ) Es. XXVI. v. 3. (ο) Psalm.
 XXII. v. 11. (π) Hebr. II. v. 13. Ephes. III. 12. (ρ) Philip. III. v. 4.
 (σ) Matt. XXVII. v. 43. (τ) 1. Joh. V. 14. Eph. III, v. 12.

TH. VI. JUSTIFICANS dicitur fides in oppositione ad NON JUSTIFICANTEM. Fides enim quando consideratur ratione actuum, qui in fide justificante concurrunt nempe Notitiæ, assensus & fiducia: Respectu duorum tantum priorum actuum non est justifica, sed potius historica & quæ in iis actibus subsistit, veræ fidei justificanti contradistinguitur, respectu autem fiducia est verè justificans, vid. Thef. præced.

TH. VII. Est autem Vox Justificans, quando fidei annectitur, non Physicæ mutationis sed morale & forense Nomen, ex Ebraismo introductum, quò significatur, non habitus alicujus infusio, sed Judicis declaratio, hominem pro justo habentis, atque tractantis, i. e. in judicio absolventis, vel sententiam pro ipso ferentis. (υ) Quod patet. (ϸ) Ex Idiomate tam Græco verbum enim δικαιωσθαι, justificare: quod quando in negotio justificationis usurpatur, semper in forensi significato (ϕ) accipitur: quam Hebræo, ubi adhibetur vox הצדיק quod in Scriptura S. in quavis materia significat justum pronunciare. Provoco ad inductionem totius Scripturæ. (ζ) Ex opposito. Condemnatio non est peccati infusio, E. opposita justificatio non est justitiæ infusio, sed pro justo declaratio. Cujus enim oppositum semper habet justificationem judicalem: Oppositorum enim opposita est ratio, & opposita stant sub eodem genere. Quod autem opponatur justificationi condemnatio, simili phrasi Hebræis dicta הרשעו constat ex Scripturis. (χ) Et ab ipso Bellarmino conceditur (ψ) (ג) Ex Consensu tum orthodoxæ Antiquitatis, ut Augustini. (ε) Si justificatur impius, inquit, ex impio fit justus, sed quomodo? Nihil boni fecisti & datur tibi Remissio peccatorum & Oecumenii. (ω) justitia inquit, est justificatio ex DEO, absolutio & liberatio à peccato, tum ipsorum adversariorum ut Pinedæ (α) justificare inquit est verbum forense & Tiletii (β) justum facere, ait, non

43

signi-

significat infusus qualitibus novis justificare sed absolvere : vid. Hutt.
(γ) Scherz. (δ) Chemnit. (ε) Qvensted. (ζ) &c.

(υ) Conf. Rom. IX. 33. Job. IX. 2. & seq. Matt. XII. v. 37. (φ) vid. Deut. XXV. v. 1. Rom. V. v. 18. conf. VIII. 33. seq. excepto fortasse loco, quem Bellarm. urget Ap. II, 11. (χ) lib. 1. de justificatione c. I. v. 4. (ψ) Rom. IV. v. 3. 6. 11. (ω) ibid. v. 7. conf. 8. (α) Act. XIII. v. 38. Rom. IV. v. 3. (β) Matt. I, 21. Job. III, 17. (γ) in Psal. 32. (δ) in c. 3. Ep. ad Rom. (ε) in IV. Jobi. (ζ) in confut. Antwerp. confess. cap. de justif. (η) L. C. T. p. 436. seq. (θ) Syst. Theol. p. 417. (ι) L. T. p. 2. 229. (κ) Syst. Theol. p. 3 p. 529.

CAP. II.

VERAM FIDEI JUSTIFICANTIS FORMAM SISTENS.

THESIS I.

Qum de essentia atque forma fidei phrasēs Scripturæ S. observamus, Tres nobis occurrunt fidei actus, per quos illa in esse suo constituitur, ut sunt : Notitia, Assensus & Fiducia : quibus uberioris explicationis causā interferit Chemnitius, (α) desiderium gratiæ. Hi fidei actus vocantur alias Requisite fidei, gradus quasi partes. Dico quasi partes, nam, teste Qvenstedt. (β) Fides non est totum vel integrale, vel essentiale, adeoque nec partes vel essentielles vel integrales propriè dictas habet.

(α) L. T. P. 2. p. 252. (β) Disp. de fid. Salv. ref. XXIII.

TH. II. Est autem Notitia, cognitio s. apprehensio intellectualis rerum credendarum, quæ sc. is, qui credere dicitur, res ad credendum propositas, s. ea, quæ Salutis humanæ causā revelata sunt, intellectu suo clarè distincteque apprehendit atque cognoscit : quando autem primum fidei gradum Notitiam facimus, non intelligimus ejusmodi Notitiam, quæ inquirat in causas rerum, earumque modum explicat (Nemo enim est, qui mysteriorum divinatorum modum causasque sciat v. g. quomodo tres personæ sint in una essentia divina singulari, ut nec personæ confundantur nec essentia multiplicetur) sed talem, quæ res simpliciter tantum cognoscit, uti in Scriptura sunt propositæ. Claram autem & distinctam diximus esse fidei notitiam, non tamen evidentem, quia objectum non immediate ex irrefragabili sensuum nostrorum judicio cognoscimus,

scimus, sed ex verbo revelationis divinæ, distincta autem, quia objectum unum cognoscit, ita, ut ab aliis objectis discerni possit, qualem fidei inesse notitiam probamus. (N) Ex diferta, Scripturæ S. appellatione. Vocat enim illam *γνώσις* (γ) *Πρόγνωσις* (δ) *ἔσθησις* & *ἐπιστήμη* (ε) unde fideles dicuntur intelligentes, sapientes, illuminati (ζ) (ς) Ex opposito. Ignorantiam Scriptura S. sæpissimè reprehendit (η) Hinc & fideles dicuntur *ἀνοήτοι* (θ) *בְּחֹשֶׁךְ* *הֵלְכִים* (ι) in tenebris ambulantes s. constituti. (κ) Ab expressō mandato CHRISTI (κ) ubi severè omnes Salutis suæ cupidos Scrip. S. *ἐρευνᾶτε* i. e. scrutari ad morem Canum odorisequorum accuratissimè inquirere jubet, Regi lectio libri legis per totam vitam injungitur (λ) Et Paulus, monet, ut verbum DEI inter nos *παλάσις* habitet: (μ) quia omnia (ex Scripturis) probare debemus (ν) (ξ) ab objectis fidei distincte & explicite nominatis, quòd sit de existentia DEI, (ξ) de creatione, (ο) de affectu ejus remuneratorio, (π) & civitate nobis futura, (ρ) de JESU quod sit filius DEI, (σ) de amore ejus quo se pro nobis tradidit, (τ) de ejus resurrectione à mortuis, (υ) de promissionibus datis &c. (φ) quorum distincta fides & assensus distinctam utiqve notitiam præsupponit; Assensus enim est tuus sensus, quò probas alterius sensum. Rei ignotæ non magis assensus quam dissensus est. Hinc scitè inquirunt Walenburgii. (χ) Objectum fidei debet esse credibile, & ut tale NB. cognosci anteqvam assentiamur. (η) à Conditione Ministerii, quod certè esset frustra institutum, si fides implicita sive Carbonaria (ut dici solet) ad salutem sufficeret, at Paulus fidem esse ex auditu dicit, neqve sine prædicatione objecti fidem ejus concipi posse docet, (ψ) (ι) ab Absurditate: Nam si notitia & assensus confusus sufficit, ut quis dicatur fidem habere, omnes Judæi increduli, qui Christum Jesum agnoscere volebant, veram fidem habuerunt, quia receperunt auctoritatem Scripturarum, quæ de Christo testantur (ω) quos tamen Spiritus S. incredulitatis passim arguit.

- (γ) *Luc. I. v. 77. (δ) Coloss. I. v. 9. (ε) Job. XVII. v. 3. (ζ) Es. LIII. v. 12. ubi scientia intelligitur non activa sed passiva. Eph. V. 8. Matt. XIII. v. 26. Eph. I. v. 18. (η) Luc. XXIV. v. 25. (θ) Es. IX. v. 2. Collat. Matt. IV. 16. (ι) Job. V. 39. (κ) Deut. XVII. v. 19. (λ) Coloss. III. v. 16. (μ) 1. Thessal. V. v. 21. (ν) Citati à B. Scherzero System. Theolog. p. 426. & (ξ)*

(ε) Heb. II. v. 6. (ο) ib. v. 3. (π) ib. v. 10. (ρ) 1. Joh. V. v. 5. & Joh. XX. v. 31. (σ) Gal. II. v. 20. (τ) Rom. X. v. 9. (υ) Rom. IV. v. 13. 19. seq. (φ) Rom. X. v. 14, Gal. III. v. 2. (χ) Joh. V. v. 39.

TH. III. Ex quibus elucet, quàm perperam à Pontificiis commendetur implicita ejusmodi fides, quæ in auctoritatem alienam generaliter laudatam rejicitur, quæ Homo simpliciter credit, quicquid credit Ecclesia, etsi ignoret, quanam illa sint, quæ ecclesia credit, id est, nihil credit, nisi quod ecclesiæ fides, qualiscunqve fuerit, recta & vera sit. Quemadmodum Bellarminus (α) expressè ait fidem melius definiri per ignorantiam quam notitiam. Quod quàm S. literis adversum est? quæ gentilibus & à spe salutis alienis ignorantiam objicit. (β) & talem tamen ille fidem ignorantiae utilissimam esse fidelibus dicit. Fidem non esse intelligentiam objicit ille, sed tantum viam & gradum ad intelligendum, & probare illud conatur ex loco Jesaia: (γ) *Nisi credideritis, non intelligetis.* Sed quem neque ex Hebraea neque ex Latina editione laudat, sed ex Græca LXX. virali, cui merito & ad rem & ad hominem opponimus versionem vulgatam, sic sonantem: *nisi credideritis non permanebitis*, sicuti etiam textus Hebræus habet; in quo egregia est Paranomasia. **וְאֵלֶיךָ יְהוָה לֹא תִּשְׁמָעוּ** quam etiam B. Luth. noster observavit in versione Germ. *Glaubet ihr nicht! so bleibet ihr nicht.* Vid. Qyenstedt. (δ) Objicit idem, quod ipsa S. Scriptura notitiam & fidem distingvat tanquam diversa. (ε) Verùm enim verò & fidem istic & cognitionem in peculiari atqve excellentiore quodam sensu accipi, ipsa res loquitur, quia saltem fidem justificantem omnibus Christi membris communem esse & Bellarminum concedere oportet, quamvis ab Apostolo fides non minus quàm cognitio ut peculiare charisma aliis, seu quibusdam tantum, data esse dicatur. Demus autem & de fide & de cognitione ordinaria, Paulum loqui, nil obstat tamen quo minus & quæ subordinata sunt, distingvat, & vel primum fidei actum, seu solam cognitionem vel omnes, id est plenam fidem datam, dilaudet aut supponat. Quod verò de captivando intellectu & redigendo sub obsequium fidei, idem Apostolus monet, 1. Cor. X. v. 5. non ad excludendam cognitionem rerum divinitus revelatarum, sed ad sophisticationes humanas & aberrantis rationis inanes argutias, quibus illa se verbo revelato opponit, retundendas pertinet.

(α) Lib. I. de just. C. VII. (β) Eph. IV. v. 18. (γ) Es. VII. v. 9. (δ) Pare. ult. 289. (ε) 1. Cor. XIII. v. 2. & cap. XII. v. 8. 9. TH.

TH. IV. Ignorantia Pontificia velificantur omnes illi, qui bonam partem articulorum fidei à credendi necessitate eximunt. Apud Pontificios eò progressi sunt plures, ut nec ipsam Christi ignorantiam putent saluti obstare, dummodo catechumenus generale propositum habeat admittendi ea, quæ ecclesia ea de re proposuerit, & à solâ propositione DEI ut auctoris naturæ & gratiæ, iustorumque remuneratoris, actum fidei, qui ad salutem in casu necessitatis sufficiat, elici posse contendunt. (¶) Ad eundem modum etiam Arminiani, nihil cognitu necessarium esse existimant, nisi quod ad mores hominum, & obedientiam DEO præstandam pertinet, (¶) quod cum in eâ generalitate proponant, ut controversias fidei gravissimas, quas ad incitandam pietatem utiles esse agnoscunt, ab hac fidei necessitate excludant, facile etiam ad ipsam cognitionem veram personæ & officii Christi rapi patiuntur, quod nec illa ad fidem salvificam necessaria sit, ut ex Syncretismo Sociniano & reformidata ipsorum gentilium condemnatione (¶) satis patet. Nos distingvimus inter articulos Fidei Fundamentales, qui proximum atque immediatum fidei generandæ sunt principium, atque ad eò salvâ fide, salvâque salute ignorari non possunt; & non fundamentales, quorum ignorantia simpliciter non damnat, fidemque evertit, nisi accedat ignorantia prævæ dispositionis. Quinam autem fundamentales sint, qui non vid. D. Nic. Hunnium (¶) D. Balthas. Meisæcerum (x) D. Hulfemannum (λ) & alios.

(¶) Vid. Erbern. in Iren. Cathol. p. 5. & citatos ibid. alios plures. (¶) vid. conf. Remonstr. c. 2. & episc. l. 4. inst. c. 2. cit. Cal. in Syst. p. 833. (¶) vid. Vedel. Rhaps. p. 54. th. V. & VII. (¶) Agriusius de fund. diss. Luth. & Calvin. Cap. IV. seqq. (x) Confid. Theolog. Pbarin. p. 253. (λ) in prælect. in F. C. Art. XV. Sect. IV. S. 19. &c.

TH. V. Alio modo à nobis dissident, qui notitiam quidem ut actum fidei prævium requirunt, attamen pro essentiali fidei parte non agnoscunt. Ita ex nostratibus quidam, qui scire & intelligere, quid verbum DEI nos doceat, nullatenus esse partem fidei docent, adeoque assensu & fiducia tantum fidem definiunt. (¶) Quibuscum consentit ex Calvinianis Wittichius, (¶) & si qui hunc præceptorem fortasse sequuntur alii Cartesiani, cum pariter contendit notitiam præsupponi à fide, sed partem ejus propriè loquendo non esse. Quin & eò ulterius progreditur hic Cartesianus Doctor, ut intellectum esse sedem fidei plane neget, sed fidem omnem in voluntate collocandam esse statuat. Quæ Philosophia cum phrasi S. li-

B

tera

tērarum parum convenit, quæ fide nos intelligere dicit (ξ) & fidem fiduciam intellectus appellat (ο) & credendi atque cognoscendi verbis ut synonymis, sibi que mutuo exegeticis utitur, (π) & propterea etiam notitiæ Christi eundem, quem fidei, effectum tribuit, ut supra vidimus. Nequequam hic distinguitur inter agnitionem & cognitionem verbi divini, quasi illa fidei sit, hæc antecedit. sicut ex auditu fides esse dicitur. (ρ) Neque eâ distinctione vel defenditur vel emollitur error. Nam auditus verbi sine intellectu ejus fieri potest (σ) adeoque fidem ut aliquid longè distinctum merito dicitur antecedere? Cognitio autem verbi divini non soni aut verborum, sed sensus perceptio est, & sic non simpliciter eadem cum auditu: quanquam & auditum sæpe vocamus cum, qui cum effectu est, & sic non tantum perceptionem etiam sensus, sed & ipsam animi ad eum sensum conformationem, fidem, atque obedientiam complectitur. (τ) Quod si verò cognitionem, quæ notitia est, ab agnitione, quæ fidei sit, distinxeris, voce agnitionis nihil nisi ipsum assensum poteris intelligere, & sic ea distinctione nihil concessum est; sed manet eadem quæ fuerat sententiarum discordia. Quæ etsi Pontificiæ ignorantiæ, quam illi in fide quarunt, directè non suffragatur, dum præviam tamen fidei notitiam requirunt viri, eaque in re se ab illis diserte distinguunt, separandæ tamen à fide notitiæ illis argumentum & occasionem præbet. Quod merito nobis displicet.

(μ) vid. *Consens. repet. Sax. p. 52.* (ν) *Theol. pacif. §. 128.* (ξ) *Heb. XI. v. 3.* (ο) *Col. II. v. 2.* (π) *Job. VI. v. 69.* (ρ) *Rom. X. v. 17.* (σ) *Matth. X. v. 14. Act. XXVIII. v. 26.* (τ) *Job. VIII. v. 47.*

TH. VI. Notitiæ succedit *συγκατάθεσις* s. ASSENSUS, qui est iudicium intellectus approbans ea, quorum nobis iudicium & notitia facta est in verbo divino, specialiter verò ejus promissiones de gratuita peccatorum nostrorum propter CHRISTUM Remissione nostrique Justificatione; dico Specialiter, quò ipsò distingvimus assensum generalem, qui pro objecto habet omnia, quæ in Scripturis Sacris divinitus sunt revelata, a fide speciali, quæ respicit beneficia divina, & promissiones gratiosas, ut & ad nos pertinent, & nobis datæ sunt. Dicitur autem assensus generalis & specialis non ratione, subjecti, de quo, quid creditur, sed respectu objecti & finis cui, seu in cuius gratiâ, & finis cuius s. cuius obtinendi gratia quid factum esse creditur, n.p. ejus quod pertinet ad gratiæ divinæ & salutis æternæ certitudinem nobis asserendam. Unde adeo propo-

propositionum talium *Christus est redemptor omnium, est unigenitus filius DEI*, est assensus generalis; harum verò, *Christus est redemptor meus, dedit se in mortem pro me* (v) est assensus specialis. Hic Actus fidei Priori est conjunctus, quod si enim vera esse fateor, quæ cognovi, justum quoque esse censeo, ut assentiar, sicuti Johannes (φ) tribus verbis, *ελαβον, κατ'ελαβον, παρελαβον* Emphaticè hunc gradum expressit, quam Emphasin etiam alia Scripturæ testimonia confirmant (χ). Licet autem assensus Notitiam includat, probè tamen, hi duo actus sunt distingvendi, assensus enim est aliquantò strictior Notitia, quoniam Notitiam fidei possunt etiã Hæretici habere, etiamsi verbo cognito non præbeant assensum.

(v) vid. Job. XIX. v. 25. Gal. II. v. 20. (φ) Job. I. v. 5. II. 12. (χ) Job XVII. v. 8. Rom. IX. v. 30.

TH. VII. Assensus autem hic non perfunctorius, non dubius, aut vacillans, sed certus atq; firmus requiritur, Unde nervosè dicitur *ελεγχθη μη βλεπομενων* (ψ) h. e. *δοκιδειξι εν περιεχομενω γωσιωε* & consequens Redargutio falsi, utrumque enim notat *ελεγχθη* teste Danhauero Hodof. (ω) & convictionem & correptionem sive Reprehensionem vid. Gerh. (α) Hinc Bernhardus ex Augustino (β) *fides inquit, non conjectando, vel opinando habetur in corde in quo est ab eo cujus est, sed certa scientia acclamante conscientia.*

(ψ) Hebr. XI. 1. (ω) p. 859. (α) Harv. c. 179. p. 1059. (β) Ep. 190 ad Innocent. P.

TH. IIX. Nititur autem hæc certitudo non rerum evidentia, insensus incurrentium, aut aliqua à causis & proprietatibus illarum deducta rationis humanæ philosophiã, seu demonstratione apodictica; sed infallibili DEI revelantis auctoritate; quem mentiri aut fallere nos non posse, certum est (γ) & cujus illa oracula esse, quæ in scriptis prophetarum & apostolorum extant, ex certis verisqve criteriis constat. Unde Damascenus: (δ) Fidem esse ait, *δωλοπραγματόητων συγκατάθεσιν* inscrutabilem consensum, per *δωλοπραγματόητων* removet à fide sensum & Rationem, per *συγκατάθεσιν* ipsam approbationem, & assensionem exprimit; quã in verbi divini oraculis acquiescimus.

(γ) 2. Tim. II. v. 13. Heb. VI. v. 18. (δ) lib. IV. de fid. orthod. c. 12.

TH. IIX. Huic certitudini, adeoque assensui ipsi fidei foedissime obfunt illi, qui inter Calvinianos non sine gravi blasphemiã docent, atq;

disputant, non id omne verum esse, quod homini divinitus credendum proponitur, sed nos obligari quandoque etiam ad credenda ea, quæ falsa sunt. (6) Quæ hypothesis absurda, ubi semel admissa fuerit, ad omnem auctoritatem revelationi divinæ detrahendam, omnemque fidem Christianam penitus evertendam sufficit. Ecquæ enim, qui DEum quandoque fallere censet credendi causam habet, quod alicubi non fallat, quodque in ea reverus sit, in qua illum verum esse censet? Si incertus est, si falli se fortasse putat, jam non credit, non assentit. Assensus & opinio latentis falsi consistere non possunt. Absit verò à nobis hæc blasphemia. Cui credemus enim, si DEO credere nolumus? quid certum restat, si ille fallere potest, qui nos condidit, omnisque nobis & naturalis, & supernaturalis certitudinis auctor est? At ille nec fallit nec fallitur (7) omnia ejus verba veritas, omnia firma & amen sunt (8) & Spiritus S. de sui veritate testatur (9) & in fide veritatis electi sumus. (1)

(6) *vid. præter Piscat. & Perkins. imprimis Maccovius in LL. CC. cap. 71. p. 782. seqq. (7) 1. Sam. XV. v. 29. Hebr. VI. v. 18. (8) Job. XVII. v. 2. 2. Cor. I. v. 20. 1. Sam. VII. v. 28. (9) 1. Job. V. v. 6. (1) 2. Thess. II. v. 13.*

TH. X. Assensum excipit Fiducia, tertius fidei gradus isque præcipuus, licet enim Fides justificans notitiam & assensum præsupponat; tamen non ut Notitia non ut assensus justificat, sed ut Fiducia. Intelligimus autem fiduciam non eam, quæ oritur ex fidei & receptæ Christi gratiæ sensu, hæc enim fidem justificantem demum sequitur, neque temerariam illam hominum in carnali securitate sibi applaudentium, quæ sine poenitentia, sine dolore & detestatione peccati, sine miseriæ suæ ac demeriti sensu succrescens, non nisi misericordiâ DEI abutitur ad fortius peccandum; qualem nobis perperam impropere pontificii; sed talem intelligimus fiduciam, quæ ex angore ad solatium, a sensu iræ & peccati ad DEum atque ad statû gratiæ divinæ ope elucatur, quæ est objecti cogniti & approbati, appropriativa receptio, & individualis applicatio. Solent alias Theologi distingvere inter Fiduciam Spei & inter fiduciam Fidei, illa bonum futurum, quatenus futurum respicit atque expectat; Hæc verò bonum ut præsens & quatenus præsens ac fiducialiter apprehendit, (1) quæ est hujus loci. Esse autem talem in fide fiduciam, probamus (2) ab Exegeti Scripturæ, quæ fidei fiduciam conjungit, & alteram per alteram explicat. (3) (4) Parallelismo, dictorum V. & N. T. Nam illic exponitur per verbum פחד confusus est, fiduciam po-

luit,

fuit, (μ) per ἰσως inniti, incumbere (ν) per ἰσως, quod per singularem Emphasin significat secure latitare tanquam in latibulo ac munitissimo asylo. (ξ) In N. T. per ἀλλοφορέϊου, παρρησίας, περιθυσίαν, ἰσως αὐτῶν, ἰσως αὐτῶν. (ο) (λ) Opposito, ut ἀπιστία, (π) quæ est diffidentia μετὰ ἰσως seu animum suspensum tenens, adeoque metum omnem excutiens (ρ) cujus autem oppositum metus & diffidentia est, id ipsum fiduciam esse oportet. Potest quidem metus aliquis consistere cum fide justificante, ut docet inter alia exemplum Noachi (σ) sed metus ille non diffidentia est, sed piæ sollicitudinis, non de DEO sed de nobis, ne indignos nos geramus gratiâ Dei, aut certe de fortunis hujus mundi potius quam de salutis certitudine anxii simus. (τ) Effectis. Nuda Notitia atque assensus, non affert tranquillitatem animo, nec ad amorem DEI nos accendit. E. his actibus nondum absolvitur vera & salvifica fides, sed alium oportet accedere, quo mens tota in DEum ut benignum patrem, & in redemptorem Christum feratur. (η) Objecto proprio, quod est meritum Christi, & promissiones Evangelicæ, quarum nobis fit applicatio. Dum enim circa illas & ut veras, & ut nobis bonas occupatur fides, non sola notitia & assensu veritatis sed & sensu ac fiducia bonitatis absolvitur, ut illas amplectatur, sibiqve applicet. (ι) Exemplo Abrahami, qui fiducialiter in DEum credidit, ἀλλοφορέϊου cum plena fiducia, plenoque fidei robore, ut de eo testatur Apostolus (κ) de quo ipse Cajetanus, quamvis ex hypothesi non satis firma; *Non dixit Moses, inquit (ν) credidit Abraham DEO, sed in DEUM, hoc enim plus est, nam Credere DEO est fidem habere verbis ejus, ut veracibus, credere autem in DEum addit insuper NB. fiduciam in DEO.* Quâ autem fide Abrahamus justificatus est, qui pater omnium credentium appellatur (φ) cujusque fides omnibus in exemplum proponitur, eadem & nos justificari certum est; sicut legimus, non ipsius tantum, sed & nostra causa id scriptum esse, ut pari fide in eum qui ipsum Christum a mortuis excitavit, credamus. (χ) Quibus omnibus accedunt testimonia ipsorum Pontificiorum qui aliâ nobis adversi sunt, collecta apud Gerhardum. (ψ)

- (κ) Rom. VIII. v. 24. (λ) Mich. VII. v. 5. Psal. XXXIIX. v. 22. 1. Job. V. v. 13. 14. Mich. VII. v. 5. Ps. LXXVIII. 22. Job. XXXIX. 11. 12. (μ) Prov. III. v. 5. (ν) Ibid. & Esa. X. v. 20. (ξ) 1. Job. V. v. 13. 14. Psal. II. v. 12. conf. XLVI. 2. LXL. 5. (ο) vid. Thes. 5. cap. 1. (π) Rom. XI. 23. Jacob. I. 8. (ρ) Marc. V. 36. Matth. VIII. 26. (σ) Hebr. XI. 7. (τ) Rom. IV. 20. seq

(v) in Gen. XV. 6. (ϕ) Rom. IV. 11. (κ) ib. v. 23. seqq. (ψ) To. 3. L. de
justif. §. 71. n. 12. (ω) in Conf. Cathol. lib. 2. Cap. 3. art. 23. p. 620. seqq.

TH. XI. Fiduciam autem hanc diximus esse Appropriati-
vam Receptionem & individuaalem applicationem. Alij
distingvunt, hic inter fiduciam Generalem, quâ generaliter erigimur
ex iis, quæ Scriptura poenitentibus promittit, & Specialem seu Re-
lativam, cuique salvandorum propriam, quâ scilicet homo peccator
verâ poenitentia conversus, firmiter credit, DEUM & Suam velle salutem
& Sibi in Christo esse propitium, Sibi que ob Christi meritum peccata
remittere & pro Suis peccatis satisfacisse &c. Sic enim Propheta: justus
Sua fide vivit, non aliena (α) Hinc quoque fidelis dicit cum Jobo (β) Scio
quod Redemptor meus vivit, & cum Paulo (γ) Christus dilexit me. Et
tradidit semetipsum pro me. Eleganter proinde ait Chermnitius (δ) Fides
versatur circa suum objectum non frigida cogitatione, non generali & su-
perficiali assensu: Sed ita ut agnoscat, intueatur, expetat, quærat, appre-
hendat, accipiat, complectatur & NB. singulis credentibus applicet
in promissione Christum cum omnibus suis meritis & in Christo misericor-
dian DEI remittentis peccata.

(α) Galat. III. v. 11. (β) Job. XIX. v. 25. (γ) Galat. II. v. 20. (δ) in LT.
part. II. p. 251.

TH. XII. Hæc autem appropriativa Receptio, seu ap-
prehensio non est Theoretica seu nude assensitiva, quâ quis
theoreticâ notitiâ extra dubium ponit, Christum non tantum pro omni-
bus sed etiam pro se in Individuo esse mortuum: Id enim vel ipsi impij,
quibus nulla cupido meritum Christi sibi applicandi, concludere possunt:
Sed Practica quæ totius Cordis & voluntatis in merito Christi recum-
bentiam involvit: vid. D. Königium: (ε) dico Cordis & Voluntatis
Nam apprehensio fidei, non solo intellectu absolvitur, sed etiam in Vo-
luntate sedem suam habet: & utramque animi facultatem occupat. Dis-
plicet hoc Pontificiis, & pro monstro ac chimæra est absurdissima, unde
nos incitiæ rerum philosophicarum postulant, ipsi rerum Theologica-
rum ignari, quod non solum εἰρηνη, verum etiam προφως ἀδυνατων sit,
ut fides in intellectu simul sit assensus & in voluntate fiducia, & una nume-
ro virtus in duabus distinctis animæ potentiis hæreat. Quippe habitus, di-
cunt, se habent ut potentiæ, quas faciilitant, nec minus quam ipsæ objectis
for-

formalibus differunt, & si objectis formalibus differunt, etiam inter se differre debent &c. Consentit cum illis Petrus Molinæus, Calvinianus vir alias insignis. (C)

(E) p. m. 262. (C) *disp. 2. de fid. justif. S. 18. 19. seq.*

TH. XIII. Sed nihil movemur philosophicis ejusmodi sophisticationibus, quibus veritas fidei multò nobis certior atqve firmior est, nec vocabularia illorum hominum sapientia rerum naturam satis feliciter attingit. Etenim ut pro abstractorum conceptuum varietate non variant ipsæ res, nec totidem reales sunt distinctiones quot formales, ita neque ipsa re id omne unum est, quod uno vocabulo unaque simplice & abstractâ notione mentis comprehendimus. Colligit mens humana plures lineas sub unam formæ denominationem, & plures radiorum lucis refractiones sub unam unius coloris ideam, quam per plures superficiæ partes tamen diffusam esse, ipsa res loquitur. Ita imago divina perfectionem voluntatis atq; intellectus, liberum arbitrium utriusq; ejus ordinem & officium comprehendit: ipsa prudentia, ars, spes, metus, & sic plura alia plurimum potentiarum atq; actuum concursum involvunt; quod nemini hæcenus absurdum visum est. Pari modo inter ipsos Scholasticos esse, qui fidei testimonium dicant, quod non ad intellectum tantum, sed & ad voluntatem pertinerent, docuerunt Theologi nostri. (7) Deinde licet fides ad voluntatem æque ac ad intellectum referatur, ideò non statim diversis inhæret Subjectis. Aliud enim est Subjectum inhæfionis, aliud Perfectionis, Facultates illæ animæ intellectus & voluntas sunt Subjectum Perfectionis, quia à fide perficiuntur, intellectus notitiâ, Voluntas fiducia. Non autem sunt Subjectum Inhæfionis, eò quod fides suum existere non habeat à potentiis, sed ab ipsâ anima, cui soli inhæret: Si enim potentiæ illæ sunt accidentia realiter ab anima distincta, ut plurimis videtur, quæ causa est, ut fidem tanquam accidens accidenti potius, quam ipsi substantiæ inhærere dicamus? Si non sunt realiter ab anima distinctæ potentiæ, quod alii non minus celebres Philosophi propugnant, utiqve, cuicumque potentiæ fides tribuatur, animæ illam immediate inhærere necesse est. Certe in S. literis nulla potentiarum distinctione facta, simpliciter cordi, id est animo inesse dicitur. (8) Et sic nihil obstat sententia nostra quo minus una virtus esse agnoscat, etsi actibus & modis operandi diversis pollens.

(7) *vid. tantum Meisn. part. 3. Phil. sobr. sect. 1. cap. 3. q. 1. (8) Rom. X. 10.*

TH. XIV.

TH. XIV. Subjectum Fiduciae excipit objectum, unde & ipsa fides
 justificans specificatur. Est autem objectum fiduciae justificae proprium
Gratia & misericordia Dei singulis credentibus in verba promissa,
Christique obedientia tū activa tū passiva, parta: Unde Apostoli ad
 quaestionem Evangelicam, quid me oportet facere ut salvus fiam? respon-
 dent, **Crede in Dominum Jesum & Salvus eris, Tu domus-**
que tua: dixi notanter **justifica**, ut enim alia Fides est *salvifica*, alia
mirifica, (quarum prior salvat, posterior non item) ita etiam notante
 Scherzero (1) *Fiducia alia justificata*, quae solum, Christum quatenus meruit,
 nobis aeternam salutem, respicit, & *benefica* objective scilicet & genera-
 liter Christum apprehendens, ut causam aliorum bonorum ac benefi-
 ciorum, tam temporalium, quam Spiritualium: Non haec sed illa est hu-
 jus loci, quod probamus. (I.) Ex phrasi **Scripturae**, quae ita de fide ju-
 stificante loquitur, ut objectum illi assignet **CHRISTUM**, (x) & promi-
 siones de gratia **DEI** per ipsum obtinenda (λ) & effectum fidei Christo
 unice attribuit, quippe qui dicitur propitiatio pro peccatis nostris in san-
 guine suo: (μ) (II.) **Exemplo Abrahamae**, Nam, quodeunque fuit
 objectum Fidei Abrahamiticae, quae illi imputata est ad justitiam, illud
 est proprium & nostrae fidei objectum, qui ad exemplum Abrahami credi-
 mus: at illud fidei Abrahamiticae objectum erat semen benedictum (ν)
 id est Christus, ut ipse Apostolus id explicat. (ξ) **Quamvis** enim & alia
 posteritatis felicitas Abrahamo promitteretur, omnis tamen illa promissio
 radicabatur in illo uno semine, unde benedictio in omnes gentes proma-
 nabat, & in ipsam Abrahami progeniem. (III.) **Ex typo serpentis**
ænei, ab ipso Christo hic explicati. (ο) Ut enim olim Israelitae per intui-
 tum ænei serpentis à venenatis servabantur vulneribus, (π) sic verè poe-
 nitentes, oculis fidei Christum in Cruce intuentes à peccatorum sanari vul-
 neribus, ex testimonio ipsius Christi in aprico est. (IV.) **Ex opposito**, lex
 damnat, terret, atque pavidam rodit conscientiam, Evangelium erigit
 & solatur: & eo ipso, quod consolatur, proprium est objectum fidei justi-
 ficæ, quae, qui justificati sunt, dicuntur pacem habere. (ρ) **Quid** verò est
 Evangelium nisi annunciatio Christi, qui in mundum venit, & se pro no-
 bis tradidit?

(1) *Syst. Theol.* p. 303. (x) *Job.* I. 12. c. 3. 16. (λ) *ibid.* & *Act.* IV. 12. cap. v. 13.
 39. (μ) *Rom.* III. 24. *seqq.* (ν) *Genes.* XV. 6. *Gal.* III. v. 7. 8. 9. (ξ)
Gal. III. v. 16. (ο) *Job.* III. v. 15. (π) *Num.* XXI. 8. 9. (ρ) *Rom.* V. 1.

TH. XV. Errant igitur Pontificii, cum proprium hoc fidei objectum agnoscere nolunt, sed fidem justificantem tam late patere putant, quam late patet verbum DEI, ita ut & comminationes ex præcepto legis & quasque historias Sacras ad ejus objectum referant. (σ) Quid enim absurdius dici poterat, quam nos justificari, dum credimus dari diabolos, Davidi legatis barbam fuisse abscissam, aut canem Tobiae caudam agitalle? quid absurdius, quam objectum fidei justificantis aliud quære præter id quod est Evangelium salutis nostræ? Certe veritatis hujus evidentia convictus Pererius (τ) concedit principale fidei objectum esse Christum.

(σ) vid. Bellarm. l. 1. de præstinat. c. 8. seq. & Bucan. in Manuali (τ) Disp. 11. in c. III. Rom.

TH. XVI. Eadem est absurditas Arminianorum, cum fidem non minus comminationes quam promissiones divinas respicere contendunt (υ) & eorum qui in Anglia fidem non minus justificare docent, cum recipit Christum quæ Dominum, quæ cum quæ recipit Salvatorem. (φ) Certe enim, quæ comminationes legales respicit, quæque dominum imperantem agnoscit, in fiduciam animi non assurgit, neque definitionem Apostoli patitur (χ) quod sit ἐλπίζομένων, rerum speratarum ἐπιδοκίαις. Quæ sperantur bona, grata sunt, & animum ad sui fruitionem erigunt, & solatium non terrorem afferunt; beneficia sunt, quæ conceduntur, non officia quæ præstantur.

(υ) apolog. fol. 125. (φ) princip. latitud. p. 158. & 160. (χ) Heb. XI. 1.

TH. XVII. Sociniani, qui meritum & satisfactionem Christi pro peccatis nullam agnoscunt, neque hoc proprium fidei justificantis objectum agnoscere possunt. Unde Socinus. (ψ) Credere, quod per effusionem Sanguinis Christi peccata nostra expiata sunt, negat esse fidem, quæ justificamur: Imò putat (ω) Credere per ea, quæ passus est Christus, peccata nostra deleta fuisse, nullò modo eam fidem in Christum esse posse, quæ justificamur: & Schmaltzius contra Francium, (α) Fides in meritum Christi nulla est: Hinc fidem in meritum Christi, vanitatem ac periculi plenum vocant mendacium. At satis retundit illorum blasphemiam ipse gentium Doctor Paulus, qui in tertio coelo edoctus Theologiam suam tam fidei Abrahamiticæ, quæ prædicationis Evangelicæ & consequenter fidei salvificæ proprium objectum docet esse Christum crucifixum (β) imò in nullo alio gloriari vult quam in Cruce Christi (γ) nec aliud scire,

scire, quam Christum crucifixum (d) ut pluribus verbis in se clara opus non sit.

(ψ) *Tr. de justif. allegatus à D. Calovio in Socin. proflig. Dis. 23. artic. 6. C. 1. (ω) Rubrica Part. IV. de Servat. cap. IX. (α) fol. 449. (β) 1. Cor. I, 23. (γ) Gal. VI, 14. (δ) 1. Cor. II, 2. conf. Gal. III, 1.*

CAP. III.

SPURIAM ADVERSARIORUM FIDEI JUSTIFICANTIS FORMAM TOLLENS.

THESIS I.

Postquam de Veritate constat, facile solvitur, quicunque aliorum inde devius Error est. Aliam Fidei Justificantis formam, quam quæ nobis ex S. literarum testimonio & communi vocis usu nota & hæcenus explicata est, affectant & commendant, qui diversa principia sequuntur, intrinsecam alii, alii extrinsecam sive assistentem, sed dum ei non assistit veritas, facile evanescentem. Qui intrinsecam, illi formam novam cudunt, & ipsi diversis viis incedunt, dum vel obedientiam generaliter omnem, vel specialiter charitatem huc advocant; de quibus sigillatim videbimus.

TH. II. Obedientiam pro forma fidei laudant primùm Sociniani, deinde ad illorum exemplū Arminiani. Ex illis ipse Socinus, credere nil aliud esse contendit, quam obedire præceptis DEI (α) non quidem perfecta & integerrima vita, tamen vera operum obedientia, & opera bona animam, formam, vitam & essentiam fidei appellat, ut & cum ipso alii (β) quamvis Schlichtingius assecla hujus sectæ inter strictam & latam vocis significationem distinguat, & fidem in stricto sensu obedientiæ potius matrem esse agnoscat, at in latiore sensu, eadem voce matrem hanc cum filia seu omni effectu suo, tanquam aliquod totum complecti cupiat, & eo sensu demum eam plenè ac perfectè justificantem esse admittat. (γ) Pari modo, Arminiani quamvis obedientiam nolint appellare formam fidei, illi tamen eam includunt, ut quod de fide justificante dicitur, pariter de tota Christiana obedientia dictum velint (δ) à quibus non dissentiant Weigeliani & Fanatici, cum fidem per imitationem CHRISTI explicant, (ε) quanquam in illis hominibus tanta sermonum varietas & contradictio est, ut post multam contradictionem vix pateat quid

quid velint. Hoc commentum quam à S. literis alienum sit, facile patet ex ipsa operum & fidei frequenti oppositione & legis fidei à lege operum distinctione manifesta (ζ) etiam apud Jacobum (η) qui sane dum fidei opera jungi debere contendit, eaq; necessaria esse, non potest per opera intelligere, nisi eam obedientiam, quam homo renatus DEO præstare potest, non illam integerrimam & perfectissimam, quæ in neminem cadit, ceu ipse Socinus agnoscit. (θ) Dum autem illam talem obedientiam à fide tamen distingvit, manifestò docet, quod fidei alia definitio sit, quam illi à Socinianis affingitur. Neque Paulus credentem, quæ talem vocaret *μὴ ἐργαζόμενον* (ι) si opera ipsa quovocuo modo & respectu essentiam fidei constituerent. Laudat quidem Paulus obedientiam fidei (κ) cum primam ejus admissionem laudat, quæ homo gratiæ DEI erga se operanti non repugnat, atqve à peccatis convertitur, at ipsam obedientiam esse fidem non dicit; laudat observationem mandatorum DEI (λ) sicut & fidem, quæ per charitatem operosa est (μ) sed cum utramqve circumcissionis gloriæ opponit; illis vocibus tamen ut synonymis non utitur, sed pro ratione argumenti, in quo occupatus est, ut diversis; cum ad salutem creditur prodesse circumcisio, fidem illi opponit, cum ad vitæ Christianæ officium, opponit obedientiam veram. Malè igitur hæc duo confundunt hi viri, fidem indicari autumantes, cum obedientia laudatur, aut obedientiam, cum laudatur fides. Fide & poenitentia convertimur ad DEUM & ad illum accedimus (ν) fidei justis & sancti coram DEO invenimur, (ξ) at obedientiam fidem conceptam & gratiam, in qua jam stamus, DEO hominibusq; probamus: sicut Abraham, postquam fide jam justificatus erat: (ο) eam obedientia illustrem reddidit. (π) Vid. plura apud Thummaium: (ρ) Scherzerum (σ) & alios.

(α) Part. IV. de Serv. Cap. 11. toto (β) vid. loca citata ap. D. Scherzer. p. 722. Edit. noviss. (γ) Cont. Meisner. fol. 308. (δ) Apol. fol. 110. 113. Ex Angliis Hammond. in Catech. præf. (ε) Weigel. part. III. post. p. 22. (ζ) Rom. IV. v. 2. 3. 5. 6. 7. 3. v. 27. 28. (η) C. II. 18. 24. (θ) fragm. de justif. p. 50. (ι) Rom. IV. 5. (κ) Rom. I. 5. (λ) 1. Cor. VII. 19. (μ) Gal. V. 6. (ν) juxta Hebr. II. 6. Es. LV. 6. seq. (ξ) Deut. VI. 22. seq. (ο) Gen. XV. 6. (π) Cap. XXII. 16. (ρ) in impiet. phot. (σ) in Antisoc. Disp. LXXXIII. seqq

TH. III. Charitatem etsi non formam ipsam, tamen essentialem fidei faciunt in Belgio Coccejus & Coccejani, cum fidem esse specie



etiam Amoris docent, (τ) qvo diligimus DEum ut expiantem peccata & sanantem ab eorum morbo & pœna. Wittichius verò præcipuus hujus sectæ promachus, *si per formam*, inquit, (υ) *intelligatur generaliter, quicquid rei essentialè est, eamq; distingvit ab alia, Charitas illa non quidem integra fidei forma dici debet, sed tamen pars formæ* & propterea actum amoris inter assensum & fiduciam ponit intermedium, qvo Christum statim ex qvo cognitus est, tanquam objectum nobis bonū & conveniens jungimus, & nos consideramus tanquam sine illo imperfectos. Qvem etiam amoris affectum videtur respicere, qvatenus junctum habet respectum ad tempus futurum, cum fidem *famem ac sitim justitiæ* definit. (Φ) Attamen fides omnis a charitate satis aperte distingvitur apud Apostolum (Χ) & amor est ex fide, (Ψ) fidei quidem est adhærere DEO, at amoris, præcepta ejus servare, eiqve obedire, (ω) ideoqve qvò de obedientia dictum est, idem etiam notet de amore, a notione fidei removendo. Neqve obstat, qvòd fides feratur in Christum ut aliquòd bonum: nam agnitio imperfectionis & desiderium gratiæ ad contritionem potius quam ad fidem pertinent, qvippe contritio continuò cum omnibus fidei actibus concurrat, & ut fides succrescit, simul ipsa ad novos subinde effectus determinatur, interim anteqvam accedat vera fiducia, qva mens penitus in voluntate gratiosa Dei atq; merito Salvatoris acquiescit, nullus verus plenusqve DEI amor accenditur. Nam qui fertur amore in DEum ut bonum sibi, utiqve de ejus bonitate penitus debet persuasus esse. Neqve etiam omnia hominum officia charitate, tanquam generico conceptu continentur, qvòd putant Coccejani, cum ex dicto Christi (α) *ab his duobus præceptis pendeat lex & prophetæ;* argumentantur, sed tanquam fonte & radice, qvanquam & ipsa ex fide primum propullulante.

(τ) *vid. Coccej. ult. Mos. p. 336. Grænewegen in præfat. ad pt. 2. Clav. apocal. (υ) Theol. pacif. §. 138. (Φ) §. seq. (Χ) 1. Cor. XIII. v. 2. & 13. (Ψ) 1. Tim. I, 5. (ω) Job. XIV. v. 15. 21. 23. (α) Matth. XXII, 37. 40.*

TH. IV. Externam & assistentem formam fidei adjiciunt Pontificii, cum illam charitate formari ajunt, id est agi & moveri, qvomodo a Spiritu movetur & agitur corpus, & dare ipsi non ut sit, sed ut moveatur & vivat. (β) Unde Distinctio ipsis orta, est inter fidem *informem* & *formatam*, qva informis dicitur, qvæ à charitate est separata, Formata, qvæ à charitate tanquam à forma perficitur. Neqve aliam fidei distinctionem, nisi qvæ ab accedente charitate est, admittunt, sed miraculosam, dogma-

dogmaticam, & Salvificam fidem omnem pro eadem habent, & realis hic quicquam esse discriminis negant, ita ut Maldonatus (γ) *Triplex*, inquit, *ista fides, quam nuper invenerunt Hæretici, figmentum est, Somnium, portentum, Chimæra, & certè si haberent unam, haberent omnem.* Itaque ad convellendam hanc distinctionem nostram urgetur ab illis, distinctio ista inter fidem formatam & informem. Ita ut actus fidei informis sit merè speculativus, carens effectu & motu voluntatis, actus vero fidei formatæ conjunctus sit cum motu dilectionis & tendentia in DEum, ceu id explicat Pererius. (δ) Verum enim vero si ab accedente charitate omnis fides dicatur moveri & vivere, sine illa vero mortua & mere speculativa esse, quid dicemus de fide miraculorum? illa certe, ut peculiare atque admodum insigne charisma laudatur Apostolo (ϵ) sed in hominem hypocritam tamen, quique nec gratiæ divinæ nec salutis particeps est, cadit (ζ) adeoque procul dubio in illum, qui charitate destituitur. Sed an illud charisma Spiritus tamen mortuum vocabimus, informe & omni motu destitutum ac mere speculativum, unde tam insignes effectus proficiuntur? non videtur sane. Vivit ergo illa fides & practica est in se, etsi sine charitate & sine vita spirituali seu renovationis, tamen administrationis & *Αγαπῆν*, & ut granum sinapi (η) ad edendos fructus sibi convenientes prorumpit. Sed vocetur tandem mortua ac informis, quia vita renatis propria per illam non accenditur; nihilo magis fides salvifica vitam illam à charitate habet, quippequæ ipse fons vitæ spiritualis est, quo vita obtinetur (θ) & vivitur in Christo Jesu (ι) quæ ipsum illud medium est, quo Christus habitat in animis nostris, (κ) & Spiritus S. accipitur, unde deinde Amor tanquam fructus Spiritus procedit (λ) fide purificantur corda (μ) nascimur ex DEO & vincitur mundus (ν) ut inde demum amor exurgat tam erga DEum quam erga homines. (ξ) Et qui possumus ad amandum DEum excitari, nisi per fidem qua illum nobis propitiū esse confidimus? Primus salutis fons est meritum Christi, ergo etiam id quo hunc fontem apprehendimus, primus nobis vitæ spiritualis fons erit, non verò aliunde sibi ipsi demum vitam mutuabitur. Excipit Bellarminus, Apprehensionem etiam tribui posse Dilectioni, & quidem melius, quam fidei, eò quod magis uniat; Sed quancquam talis amantis ad amatum propensio, & quæ sita mente unio suo sensu apprehensio quædam dici possit, non tamen illa est, quæ meritum Christi nobis applicat, & turbato dolore animo quietem affert, sed alia quæ ab hac fiducia fluit, & in

hoc bono, de quo sic persuasa est, jam sese suaviter oblectat: illa igitur
 præcedit, hæc sequitur. Prius credo, confidoque Christum pro me passum
 & mortuum esse, post ipsum diligo. vid. Danh. Hodof. p. 870. Deniq; fides
 dicitur per charitatem operari sive operosa esse (ϑ) adeoque fides chari-
 tatem regit, non charitas fidem. Sed hic imprimis de summa rei se dis-
 putare censent Pontificiæ partis Doctores, dum ut hypothesis suæ præsi-
 dium quærant, auctoritatem vulgati interpretis, quæ alioquin ex Triden-
 tini Concilii decreto sancta atque inviolabilis esse debuit, non leviter vel-
 licant, & puerilem ipsi solœcismum impingunt, ut in verbis his, quibus
 Græcum textum *πίστις δι' ἀγαπῆς ἐνεργουμένη*, ita reddidit, *fides quæ per
 charitatem operatur*, verbum deponens passiva significatione induant, ut
 idem dixisse videatur quam si ita reddidisset: *fides quæ charitate perfici-
 tur*. Syrus quidem interpres ita vocem explicuit *בְּחַוְכָה בְּחַוְכָה*,
 sed ejus exemplum præjudicio non est veritati Textus originalis, quam
 vulgatæ hoc loco recte exprimit in genuino vocabuli sensu, qui activus
 est. Ita enim & Græcum *ἐνεργουμένη* mediæ formæ participium activam
 significationem habet, sicut alibi indicativus *ἐνεργουμένη*. (π) Quia & Syrus
 de perfectione aliquâ accidentali ornatûs & effectûs producti potest intelli-
 gi, quæ fides à charitate dicatur perfici sicut arbor à fructu, qui inde nascitur
 & arborem exornat. Certe causa nulla est, quare passivam talem signifi-
 cationem, qualem hi viri volunt, nobis imaginemur. Fortius aliquanto vi-
 dentur argumentari, quando ex Jacobo (ϑ) urgent, *fidem sine operibus
 mortuam esse, non aliter quam corpus sine Spiritu*: ideoque ut corpus a-
 nimâ, quæ regatur, opus habet, ita & fidem opus habere ajunt assistente atque
 actuante charitate. Ubi vero ante omnia id velim ut considerent Jesuitæ,
 quod de operibus, non de charitate hæc dicantur. Etenim quod opera
 bona à charitate fluant certum est, sed distincta tamen sunt ab ipsa hac ma-
 tre sua. Nam operum nomine Apostolum non internas animi virtutes, sed
 actiones externas, quæ animi & virtutis indices sunt, intelligere in apri-
 co est, quippe qui jubet fidem docere per opera (σ) & pro exemplis adducit
 Abrahameam filii ad altare oblationem, & præsidium exploratoribus à
 Rachabe præstitum (τ) an vero & ipsa illa opera externa putant animam
 fidei esse, & formam ac principium motus? id si absurdum esse agnoscunt,
 jam agnoscant necesse est, argumentum quod ex hac phrasi Apostoli desu-
 mitur, non concludere, neque simile propositum ultra tertium compara-
 tionis, necessariam nempe fidei & operum connexionem extendi debere.

Nema-

Nempe fides sine operibus mortua est, etiam ut charitas sine operibus mortua est, id est, excidit atque perit, neque subsistere potest vel fides vel charitas nisi pariat fructus bonos externos. Fructus tamen illi si ex charitate unice aut principaliter provenirent, nec aliud de fide testarentur, quoad quod a charitate agitur, omnino non fidei, sed charitatis fructus atque testimonium dici deberent, quos tamen ad fidem tanquam matrem suam reducit tam Jacobus quam Paulus. (v)

(β) vid. Bellarm. l. 2. de justif. cap. 4. (γ) in C. IX. Matth. (δ) in Gen. XV, 6. cit. Meisn. pb. 3. phil. sobr. p. 331. (ε) 1. Cor. XII. v. 9. & 28. cap. XIII. v. 2. (ζ) Matth. VII. v. 22. (η) Matth. XVII, 20. (θ) Hab. II, 4. Rom. I, 17. Eph. II. v. 5. 8. (ι) Gal. II, 20. (κ) Eph. III, 17. (λ) Gal. III, 2. coll. cum C. VI, 22. (μ) Act. XV, 9. conf. Heb. X, 22 (ν) 1. Job. V, 4. (ξ) ib. v. 1. 2. 3. & Heb. X, 24. conf. longus ordo virtutum apud Petrum II. Ep. I, v. 5. 6. 7. (ο) Gal. V. v. 6. (π) vid. 1. Thess. II, 13. (ρ) Jac II, 26. (σ) ib. v. 18. (τ) v. 21. & 25. (υ) Jac. II. v. 18. 22. Heb. XI, 17. 32.

TH. V. Itaque invertimus potius sententiam adversariorum, & si qua assistens, & extrinseca forma probanda est, non charitatem fidei, sed fidem charitatis formam assistentem atque extrinsecam appellamus, quia neque ipsa charitas nostra sine fide Deo placere potest (φ) utpote imperfecta, & assistentis sibi fiduciae remissionis peccatorum semper indiga, a qua inflammatur, ut in varia ebulliat virtutum exercitia. Bene D. Königius. (χ) quoad influxum, inquit, in productionem Bonorum Operum habet se fides ad analogiam forma ad sua propria, quorum causa per emanationem ipsa est. Consentiant Nobiscum Patres, ut August. l. 3. ad Bonif. c. 10. Sine fide, etiam quae videntur bona opera, in peccatum vertuntur item lib. 12. de Trinit. c. 7. Virtus est recta intentio a fide proficiscens Virtus sine fide nulla est, Tu autem dulcissime Jesu fidei Dator & Consummator, veram nobis lagire fidem ut in ea ad finem perseveraturi, finem fidei, aeternam salutem consequamur!

**TIBI CUM PATRE ET SPIRITU SANCTO LAUS
SIT ET GLORIA IN SEMPITERNA
SECULA.**

(φ) Heb. XI, 6. (χ) Theol. Posit. S. 908.

Sic

Sic fiducia virium bonarum,
VICCI, te vocat ad sacras arenas.
Quam rectâ didicisse mente gaudes,
Cummonstras opere hîc fidem probato.
Vincit sancta fides, agit triumphos,
Et vani superat pericla mundi,
Justum reddit & ultimò beatum.
Et nunc oppositas perita technas
Vincet, quò referat cathedra laudem.
Magnos ista fides tibi Patronos
(Spero, gratulor, augurorqve lætus)
Et fructus dabit inde mox opimos.

Dn. Respondenti gratul. scripsit

PRÆSES.



Ad

Præstantissimum DN. VICCIUM,
In Collegiis Philologico- & Exegetico-Prophético-Ebræis
ut & Theologicis Disputatoriis super *Formulam Concordiæ & Augu-
stanam Confessionem* Auditorem & Amicum svavissimum,

De

NATURA FIDEI

publicitus disputaturum.

Quamvis † *deficiat* vel certè langveat eheu!
Quam crepat aut jaçtat quilibet ore, FIDES;
Tu tamen inculcas, quænam natura sit ejus.
Sic FIDEI studium sedulus arte probas,
Sic facis officio fatis ac non *deficis* illo.
Sufficiat vires gratia porro DEI!

† FIDES Anagr. DEFIS.

LMg_s

quamvis prosperiter

A. D. HABICHHORST, D.

Te

TE non sacrilegæ flectent contagia turbæ,
 Nec Tuus à Cælo devius ibit Amor.
 Si modò vera fides *solum* sectetur JESUM,
 Quam cum describis, tempore digna facis.
 Corda sacrare Polo pergas, *Doctissime* VICCI!
 Humano est potior cœlitus ortus amor.

*Pereximio Dno Respondenti, Auditori
 solerti, Amico perhumano, pro-
 lixiore affectu, quam versu,
 de Specimine laudabili gratulatur.*

M. J. Sindemann/
 Archi-Diacon. ad
 D. Mar.



Sic tandem prodit, VICCI, tua mascula Virtus,
 Nec fecus ac Titan ipse latere potest.
 Ingenti fructu navasti tempora musis,
 Quod cum laude tuâ lux hodierna probat.
 Excutis ingenii vires certamine honesto,
 Dum FORMAM FIDEI detegis atqve tegis.
 Materies est hæcce tuâ fatis indole digna,
 Confundens hos, qui sub meritis recubant.
 Gratulor ex animo, voveo Tibi prospera cuncta,
 Ut tandem studii præmia digna feras.

*Paucis hisce nobilib. atq. clarè doctura
 Dn. Respond. Disput. hujus Aucto-
 rem Dn. Affinem ac Commensalera
 meum suavissimum hinc abiturien-
 tem comitari volui, debui.*

NICOLAUS Blahn/
 Rostoch.

Wer recht seyn vor der Welt erwirbt zwar gro-
 sen Preiß/
 Davon die Nachwelt auch oft viel zu rühmen weiß;
 Das Aristidis Zweck war dieses zuerlangen:
 Doch ist's ein eitel Ruhm: Wer dieses kan empfangen/
 Daß Er gerecht vor Gott/ des Ruhm bleibt unver-
 rückt;
 Wenn Er den/ der gerecht / im Glauben/ macht/ er-
 blickt
 Er zeigt recht wehrtester Freund/ den Weg dahin zu kommen
 Daß man in der Gerechten Zahl werd auffgenommen.

Dieses hat seinem wehrtesten Freun-
 de mit Wünschung aller erspriest.
 schuldigst beyfügen wollen

N. P. PISTORIUS,
 SS. Th. St.



Εδρα γνωμονικῶν ἀναβάινει σήμερον Ἄνηρ
 Αἴξιη, κόμψη καὶ τε λόγισι σοφός.
 Καὶ παρθῆς αὐτῆ' ἀποδείκνυσται ἔργον ἀγαθόν,
 Παντός ὃ τῶ' αἴνῃ ἄξιον ἔστιν ἔαρ.
 Πάντες παύειτε καθῶς, καὶ ἔση Πατρὶ καὶ τε Φίλοισι
 Χαίροσύνῃ μιγάλη καὶ μαχαλίᾳ ἄγῃ.

πᾶσα ὀλίγα συγχαίρων παρέτεθ
 φίλω αὐτῆ' φιλιότητῃ

Θ. Ε. ΡΕΒΑΛΔΟΣ.



